Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 191
Quelle:
Copyright:

CXXIII.

U. 69 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 127. 4. calamo currente ipsius Autoris scriptus, refectus, inculcatus, ut primos mentis conceptus in chartam conjectos agnoscas, continet Explanationem *Geneseos* ab initio usque ad C. II. v. 1. jam affectum. Initium est: *In principio creauit Deus celum et terram. Hoc uerbum introducens beatus augustinus XI°. de Civ. Dei dicit ita. Quod deus fecit mundum. nulli potius credimus quam ipsi deo* &c. Si de Autore quaeras, *Henricus de Hassia* est, cujus Continuatio in eundem Librum mox adferetur.

CXXIV.

U. 36 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 450. f. currente calamo per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et olim legatus *ad liberariam Collegij beate virginis Marie Rubee rose* a *Johanne Hoffmülner Ecclesie sancti Stephani magistro chori*, ut praenotatum, continet vastum Commentarium in *Caput* III. *Geneseos*, qui inscribitur: *Tercium capitulum*, unde conjicio, Partem esse superstitem Expositionis in *Genesin* ab ejus principio coeptae. Est vero hoc ingressu: *Sed et serpens erat &c. secundum diuisionem in principio istius 3ij capituli gen. in tres partes factam hic incipit tercia pars in qua posteaquam in pertractatione precedentis partis descriptus est status innocentie* &c. Quantum sibi indulgeat Interpres noster, vel ex eo patet, quod mox diversas Serpentum species, puta *Aspidem*, *Regulum*, *Dypsadem* &c. fuse describere instituat. Sed et in omnem fidei morumque doctrinam late expatiatur, ut *Rubricae* paginis superne impositae demonstrant. Finit tandem *fol.* 432. p. 2. *uel illa que committitur in commutacionibus uel distribucionibus.* Sequuntur *Indices* duo, quorum posterior a *fol.* 305. ducitur. De Plantatore Gymnasii nostri *Henrico de Hassia* refert *Trithemius* in *Catal. illustr. Viror. Germ.* inter alia: *Abundans et diffusus, quippe qui multis annis in lectura geneseos consumptis vix ad quartum capitulum libri pervenit, ac totidem volumina complevit.* Itaque hic iterum Volumen ejus III. tenemus.

Vestit illud postice Membrana Biblica elegantissimo charactere *hebr.* in *Germania*, ut videtur, exarata a Libri *Num.* c. 8. v. 11. verbis: והניף אהרן את הלוים ad verba v. 21. — בגדיהם וינף ויכבסו.

CXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 64 exeuntis Folior. 182. 4. currente calamo perscriptus, multis lituris, et emendationibus cum in textu, tum ad margines scatens, atque ita comparatus, ut πρωτογραφος videri debeat, complectitur *Commentaria in Genesin* a C. III. ad ejus v. 17. Testatur *Joh. Eckius*, dum concertationum scholastica-